Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

# Dvcatvs Lvnebvrgensis

Mellinger, Johann

Amstelodami, [1631?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-308838

Visual Library




Farbkarte #13
B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue
Centimetres
Inches
Landesbibliothek Oldenburg

Anzeaticorum cedit. Monasteria quondam habuit quatuor. Primum ad D. Michaëlem, ordinis D. Benedicti, quod in monte prius situm fuit, cujus fundamenta jecit Otto Magnus, Dux Saxoniæ, pater Henrici Aucupis Imperatoris. Secundum D. Virgini Mariæ consecratum, ordinis S. Francisci. Tertium Vallis sacræ, sive Præmonstratensium. Quartum Paulinorum, nunc gymnasio litterario inserviens. Quibus & addi potest Præpositura ad S. Ioannem, ex Archidiaconatu in Medestorp nata, & Collegium Conventualium fratrum, vulgo der Calandes Herrn. Hodie templa Augustanæ Confessioni addicta sex habet, primum ad D. Ioannem. Secundum D. Michaëli sacrum. Tertium ad D. Lambertum. Quartum D. Nicolao nuncupatum. Quintum D. Virgini. Sextum S. Sancto. Otto I ditionem istam erexit in Comitatum, adjunctis ei prædiis ex agro Megapolensi. Fredericus II ex Comitatu Ducatum fecit. Henricus Leo exutus Bavaria, Saxoniaque proscriptus ab Imperatore, hanc urbem cum Brunswicensi adhuc retinuit. Religionis restauratio multis illic constitit certaminibus. Vix trigesimo anno post prima molimina docere publice cœpere in templo B. Nicolai Fredericus Henningius, & Henricus Otto: paulo post etiam in aliis templis Ekenbergius & Ioannes Lampadius. Erat tunc in Senatu vir magnæ authoritatis, Hieronymus Witzendorfius, qui multum ad negotium illud contulit. Sed quum cives ipsi fastidirent ritus Pontificios, non destiterunt in Senatu contendere, ut exemplo Lubecensium & Hamburgensium liberæ ipsis conciones permitterentur. Quod quum impetrari à se Senatus patereturne, accersitus est Hamburgo M. Stephanus Kempius, qui Ecclesias ad eam, quæ nunc illic est, formam restituit. Hunc sequutus est Vrbanus Regius, & alii.

Vrbes etiam alias habet Ducatus Lunæburgensis, licet minus celebres, quales sunt *Harburga* è regione Hamburgi posita in Albis ripa, *Winsena* ad fluvium *Lubr* jacens, *Vltzena*, in ipso fere regionis meditullio, *Bardewicum*, vicinum maxime Lunæburgo, *Cella Cell*, Ducum sedes, *Dannebergæ* Comitatus titulo decorata.

Videre quoque est in hac Tabula ad ripam Visurgis versus meridiem non longe à finibus Comitatus Schauwenburgensis urbeculam *Hamelen*, de qua historiam miram & memorabilem adscribam ex literis clarissimi viri D. Arnoldi Freitaghii medici ad Ortelium. Ejus verba hæc sunt: *Incidi nuper in Saxonem & Saxonicæ Historicum. Is narrabat, ante annos trecentos triginta Hamelii in Ducis Ericiditione accidisse, ut cum fors murium lues in ea urbe vehementer grassaretur, circulator quidam eò veniens, suam civibus operam in abigendis muribus offerret; erat hoc iis, utpote quibus tutum nihil ab hoc animantium genere erat, gratissimum. Ille pactus cum civibus, pulsu tympani omnes ex urbe educit. Petit promissum salarium. negatur. egreditur urbem minitabundus, atque post anni decursum revertitur, suoque per urbem pulsato tympano, eadem, qua antea mures, civium liberos satis magno numero educit ad vicinum quendam collem, ibique statim, cum omnibus quos eduxerat, disparet. Puella quædam è puerorum numero à longe, seu ex itinere defessa, substitit, domumque reversa narrat scitantibus quid vidisset, quod cum ludione pueri collem subiissent. Quisque igitur suos repetitum pueros eò se, sed frustra, confert. Neque ab eo tempore sciri potuit, quid de pueris factum esset. Hec cum legissem, rem judicavi aut fabulam, aut, uti vere est, obstupescendam. Inter confabulandum feci hujus apud alios mentionem, affirmant omnes. ajuntque annum, diemque & numerum exeuntium consignatum esse Senatus Hamelensis annalibus: hodieque adhuc apud eos in more positum esse, ut in contractibus pactisque, quæ scripto consignantur, & antiquioribus literis scribuntur, scriptum inveniatur hac verborum formula,* Von vnser Kinder auffgang / *id est, ab egressu liberorum nostrorum. Ajuntque, plateam seu vicum, per quem educti sunt pueri, in hujusce rei memoriam* die Bungloese Straß *nuncupatum, ac ibidem nefas esse pulsare tympanum. Si fors hujus historiæ meministi, ea tibi inde à me revocato in memoriam. Tu si quid habes, quod me magis juvare possit, per occasionem & otium communica. Vale, & tuum Freitaghium ama. E Groninga Halberstadiensi, quarto Idus Novembris, CIↃ IↃ LXXX.*

Historia stupenda.



# LVNÆBVRGVM DVCATVS.

Limites.

DVcatus Lunæburgicus affines habet Ducatum Mecklenburgensem, Marchiam Brandenburgensem, Archiepiscopatū Magdeburgensem, Comitatum Schauwenburgensem, Episcopatum Bremensem, & Comitatum Oldenburgensem, quibus undique, uti & Albi & Visurgi, cingitur. Nomen habet à metropoli Lunæburga, uti Brunswicensis à Brunswico, Bremensis à Brema. Ad Saxoniam Inferiorem pertinet. Regio est nemorosa, sylvisque plurimis insignis, quarum nomina in tabula notata sunt, *Raarbroock, de Roeff kamer, de Grode, Berger wald, Kraimgerbroock, Im Ringlow, Im Lewen, Im Dromelinge, &c.* Magna vastaque patet planities versus latus urbis metropolitanæ, eaque deserta & inculta, quam *Lunenborger heide* vocant. Metropolis ejus est, uti jam dixi, Lunеburga, cujus longitudo est 32 grad. 18 min. Latitudo 53, 27. Hamburgo abest milliaribus sex, Brema duodecim, Lubeca decem, Brunswico quindecim, Vlcena quinque, Winsema duobus cum dimidio, Bardowico uno, Harborga sex.

Sylvarum nomina.

Metropolis Lunæburgi.

Nomen habet vel ab idolo Lunæ, quod monti, qui calcis nomine insignitur, quondam impositum fuit; vel à fluviolo præterlabente civitatem, qui nunc Elmena, olim Luno vel Lumenou vocatus fuit ab Iside, uti fabulantur, iter faciente ad Gambrivium agnatum, loca tenentem, ubi nunc Hamburgum & Gramma sita sunt, quæ multis fluminibus rivulisque in Ducatu Lunæburgico & Marchia Brandeburgensi nomina vel à proprio nomine, vel forma Lunæ corniculatæ, qua culta fuit, imposuit. Estque verosimilius, ejus statuam monti impositam & cultam fuisse ab inquilinis, quàm quod Iulio Cæsari id attribuunt Chronica Saxonum. Legere est in annalibus Verdensium Episcoporum, idolum hoc ablatum fuisse ab Egisto ex septuaginta discipulis uno, qui in hisce terris Euangelicam doctrinam professus fuit, & mox iterum ab incolis ad idololatriam prolapsis erectum, à Wiperto Abbate Anglico, Benedictinæ professionis, Episcopo Verdensi primo, destructum, & ab eodem ibidem loci cœnobium in honorem B. Mariæ Virginis gloriosæ ædificatum esse anno Christi 780. Vetus est civitas, ejus meminit historia Caroli Magni Imperatoris, quæ refert eam fuisse, antequam Bardewicum ab Henrico Leone Duce Bavariæ destructum esset. Destructo vero Bardewico, cum intra mœnia civitatis clauderetur vicus vel pagus *Medestorp*, ad orientalem veteris civitatis plagam situs, ad justam magnitudinem urbis excrevit anno 1190. Longobardos Saxones hæc loca inhabitasse docent hæc vocabula, *Barderwick, & Bardengea*, Cathedralis Ecclesiæ Rameslocnsis pagus. Est in hac urbe salis fons uberrimus, maximo Dei beneficio incolis concessus, cujus origo, quando nimirum incœperis scaturire, ignoratur. Ejus tamen mentio fit in historia Ottonis I. Et Helmoldus, qui historiam Slavorum scripsit, defensum ait fontem ab Henrico Leone Duce Bavariæ, & Saxoniæ Electore, Palatinoque ac Principe Lunæburgico contra scaturigines falsas in Oldesloe repertas, quas obstrui justit, ne quid Respublica Lunæburgensis detrimenti caperet. Sub pronepote vero ejus Ioanne Duce Lunæburgensi longe uberiores aquæ salsæ eruperunt. Gaudet privilegiis insignibus civitas, & ludis ornata est equestribus, qui solito more celebrantur feria quinta ante Bacchanalia à patriciis, qui bonis salinariis frui cupiunt. Instituti sunt anno 1296. Muria hujus uberrimi fontis olim urna ingenti pendula ad trabem mobilem antiquissimæ columnæ impositam per proceræ staturæ viros extracta fuit, usque ad annum MD LXIX, quo salinæ mutatio facta est, Præfecto tunc temporis prudentissimo viro Georgio Tœbingio, & per siphonem magnum in profundo putei positum exhauriri cœpit, inque quinquaginta quatuor casas distribui: quarum quælibet continet sartagines quatuor; in quibus, quod mirum, ex plumbo factis, muria infusa dies noctesque coquitur, & binis horis maturatum sal in domos ad hoc fabrefactas vehitur, vel venditur. Sartagines etiam deficientes ex ignis ardore, intra dies quatuordecim fere liquefactæ rursus reficiuntur. Omnibus civibus & inquilinis muriam ad condiendas carnes petentibus sine precio hinc petere licet. Proventus vero hujus salinæ Ecclesiastici cedunt, ut de bonis salinariis victitent non tantum patritii, sed & religionis literarumque publicæ professioni consecrati: ut quæ alibi honoraria sunt, merito illic salaria ex re vocari possint. Salinæ duplices sunt, veteres & novæ. Illæ contiguæ urbis muro: hæ in ipso urbis meditullio. Adeo nunc crevit, ut cum præcipuis Germaniæ civitatibus certare possit, tum benigna rerum copia, tum ædificiorum magnificentia, situs opportunitate, civium frequentia, humanitate & fortitudine, tum denique nominis celebritate. Cœlum habet tersum & salubre, agrum fertilem. Vix ulli

Nominis origo.

*Germania.*



ALBERS 250
Kasten 0314

Landesbibliothek Oldenburg